

moniti exire, remanere præsumant: tunc enim excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam incurrunt per *cit. Clem.*

3.º Clericus violans interdictum personale, sive generale, sive speciale, per exercitium ordinis, vel scienter celebrans in loco interdicto, fit irregularis: et si hoc interdicto durante decedat, privatur sacra sepultura (*c. 18. et 20. h. t. in 6.*) At si clericus non interdictus celebret in loco non interdicto, et admittat interdictos, tantum incurrit censuram interdicti ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciatur ei, cujus censuram contempsit (*c. 8. de privil. in 6.*)—II. Clericus violator interdicti localis privatur voce activa et passiva (*cit. c. 18. in fin.*), et per sententiam suspendi debet ab officio et beneficio (*c. fin. de excess. prælat.*): non tamen privari officio et beneficio; nam privatio ista, de qua loquitur prior pars decretalis, procedit in casu illo speciali, quo Episcopus tulit sententiam notoriè injustam, et alios compulsi ad violationem interdicti apostolici.—III. Sepeliens aliquem non privilegiatum in loco interdicto, vel interdictum denunciatum in loco non interdicto, incurrit excommunicationem ipso facto, à qua non est absolvendus, donec ad arbitrium diocæsanæ satisfaciatur (*Clem. 1. de sepult.*)

257. Q. VII. *Quomodo tollatur interdictum?*

R. 1.º Si latum est absolute per sententiam, relaxari potest per absolutionem vel dispensationem ejus, qui illud tulit aut similem potestatem habet: si verò latum est pro tempore determinato, vel sub conditione, his evenientibus, cessat absque illa nova absolutione.—2.º Interdictum locale, sive generale, sive speciale, et interdictum generale personale non potest relaxari, nisi ab habente jurisdictionem in talem locum aut populum: non verò à Regularibus; nam hi relaxant censuras in foro conscientiæ; locus autem et communitas populi non subditur tali foro.—2.º Interdictum personale speciale à jure reservatum relaxari potest à reservante Papa, ab Episcopo et Regularibus privilegiatis in foro conscientiæ. At si reservatum non sit, relaxari potest à proprio sacerdote, sicut de excommunicatione dictum, ex *c. 29. h. t.*, ubi cetera huc accommodari possunt.

258. Q. VIII. *Quid veniat nomine excommunicationis, suspensionis et interdicti, si absolute proferantur?*

R. 1.º Nomine excommunicationis venit major, separans à communione fidelium (*c. 59. h. t.*)—2.º Similiter suspensio et interdictum absolute lata, supponunt pro majori et propriè tali (*arg. c. 59.*); nam jus non meminit alicujus minoris suspensionis et interdicti, quæ ob leve peccatum contrahantur.

## §. V.

### De cessatione a divinis.

259. *Cessatio à divinis*, interdicto affinis est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, et sepultura sacra in aliquo loco. Aliter vocatur *suspensio organorum* seu *divina laudis*. Differt ab interdicto; nam interdictum est censura, ferri potest ab homine vel jure, ejusque violator per exercitium ordinis fit irregularis: econtrà cessatio à divinis non est censura, sed mera negatio divinatorum officiorum, ejus violator non fit irregularis; nec illa fertur à jure, sed semper ab homine in signum doloris et tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam Ecclesiæ aut honori divino illatam, ejusque reparationem.

260. Q. I. *Quis, et ob quam causam indicere possit cessationem à divinis?*

R. 1.º Papa, Episcopus et capitulum, Sede vacante, vel alius superior habens jurisdictionem externam, potest indicere cessationem ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius moneatur delinquens de satisfactione præstanda, tum ei renuenti instrumentum cessationis cum causæ expressione tradatur: secus cessatio est invalida, et eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti læsæ, sive ministris Ecclesiæ: ita Bonif. VIII. *c. 8. de off. ordinar. in 6.*—2.º Si capitulumulare aut regulare, etiam sede plena, vult indicare cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad negotium electionis: secus decretum cessationis, sicut electionis, est invalidum; *ibid.*

261. Q. II. *Qui sint effectus cessationis à divinis?*

R. 1.º Tres præcipui: privatio div. officiorum, sacramentorum et sepulturæ sacre, quos effectus Papa inferior restringere nequit (*c. 11. de sponsalib.*), excepta *sepultura sacra*; nam hæc non venit nomine divinatorum officiorum; adeoque non continetur sub cessatione, nisi ei annexum sit interdictum; et ideo *cit. c. 11.* nulla mentio fit sepulturæ.

2.º Cessatione validè indicta, non possunt à clericis celebrari missæ et alia div. officia, etiam eo modo, quo conceditur tempore interdicti per *c. Alma h. t. in 6.*: ita com. Nam interdictum et cessatio sunt diversa, à quibus non fit illatio; ergò privilegium d. cap., quo conceditur celebratio privata missarum januis clausis, non debet extendi ab interdicto ad cesationem, etiam ob paritatem rationis per *c. 9. de*

*privil.*: secus cessatio nihil novum adderet supra interdictum: tum quia clerici, si tempore cessationis possent recitare horas can. in choro, non privarentur distributionibus quotidianis, quod falsum est; cum dans causam cessationi teneatur distributiones istas compensare (c. 2. de off. ordin. in 6.); ergo signum est tempore cessationis, nec privatim januis clausis, div. officia celebrari posse. Hic tamen notant Sanch., Suar., Salmant. et alii consuetudine receptum esse, ut illis festivitibus, quibus tempore interdicti divina solemniter celebrari permittuntur, etiam tempore cessationis solemniter celebrentur. Item communis admittit clericos binos, et binos privatim in Ecclesia posse recitare horas can. tempore cessationis, sicut tempore interdicti; c. 11. de penit. et remiss., ubi declaratur talem orationem non venire sub interdictum et cons. neque sub cessationem.

3.º Attento rigore juris, solus baptismus parvulis et morientibus penitentia atque viaticum ministrari potest tempore cessationis (arg. c. 11. de sponsal.) At ex benignitate Ecclesie videtur indultum, ut etiam baptismus adultis, confirmatio et penitentia sanis ministraretur, et matrimonium sine solemnitate nuptiali contrahatur, quod secundum consuetudinem Rom. Ecclesie omni tempore contrahi potest (c. 4. de feriis.) Ordo verò, Eucharistia sanis, et extrema Unctio moribundis non sunt ministranda, nisi æger aliud sacramentum recipere nequiret: tunc enim extremè ungi potest, ut ex attrito fiat contritus.

262. Q. III. Quomodo, et quos obliget cessatio à divinis?

R. 1.º Obligat sub mortali directè clericos, et indirectè laicos; quia est præceptum ecclesiasticum in materia gravi: ejus tamen violatoribus non est certa pœna à jure taxata, exceptis religiosis et exemptis, qui violantes cessationem generalem quæ à matrice Ecclesia observatur, ipso facto excommunicantur (Clem. 1. h. t.), quam confirmat Trid. sess. 25. c. 12. de regg. 2.) Dans causam cessationi legitimè indictæ tenetur reparare omnia damna inde consequentia; ut compensare distributiones et stipendia, quæ clerici ex missis et aliis div. officiis, acquisivissent etc.: item condemnari potest ad aliquam quantitatem Ecclesie applicandam (c. 2. et 8. de off. Ord. in 6.)

263. Q. IV. Quomodo tollatur cessatio?

R. 1.º Relaxatione ejus, qui eam tulit, vel qui simili potestate præditus est.—2.º Tacitè tollitur, si partes intra mensem inter se non componant circa cessationem: et quidem, si indicens per se vel procuratorem negotium hoc intra mensem non referat ad judicium Papæ, statim tollitur cessatio, ne per eam Ecclesia gravetur (c. 8. de off. ord. in 6.) Si verò pars, quæ causam dedit cessationi, Romæ non compareat, per hoc non liberatur, neque cessatio tollitur, ne ex contumacia sua commodum reportet, sed ipse tenetur relaxationem cessationis petere ab illo, qui eam indixit.

## TITULUS XL.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE. <sup>a</sup>

264. Compiler noster ad imitationem Pandectarum concludit jus canon. duobus generalibus titulis, scil. de V. S. et R. J., quorum materia per totum jus vagatur, ut vidimus in singulis anterioribus titulis.

265. Q. I. Quid, et quotuplex sit verborum significatio?

R. 1.º Est legitima acceptio vocum pro eo, pro quo substituuntur. Dicitur:—I. *Legitima*, quia verba in jure non sunt intelligenda præcisè grammaticè seu litteraliter, et *dialecticè* seu philosophicè, sed potissimum secundum leges et regulas communiter à DD. receptas.—II. *Pro eo*, hoc est, pro re, quam verba seu voces significant secundum mentem legislatoris.

2.º Verborum significatio est varia:—I. *Propria*, quam verba habent ex prima institutione.—II. *Usualis* seu consuetudinaria, quam verba habent non ex prima institutione, sed ex moderno usu, ut lex canon. Imperator pro Rege aut principe, hæresis, usura etc.—III. *Abusiva* seu vulgaris, quam verba habent ex vulgi acceptione contra communem usum: ut servus pro famulo conductio, parens pro vitrico etc.—IV. *Impropria* seu metaphorica, quam verba habent ex similitudine.—V. *Civilis* seu juridica, quam verba habent ex impositione juris seu legislatoris; sicut arrogatus dicitur filius, servus, aut religiosus mortuus, aut capite minutus: cujusmodi significationes plurimæ sunt in utroque jure.

266. Q. II. Quæ sint regulæ significationis verborum?

R. 1.º Generales coincidunt cum illis, quas dedi pro interpretatione legum, privilegiorum et dispensationum (tit. de Const. à n. 39.) v. g. accipienda sunt in sensu proprio, secundum mentem legislatoris, conformiter motivo, seu causæ finali, cum effectu, ut aliquid operentur, generalia generaliter, odiosa strictè, favorabilia amplè, dubia et obscura, ut quam minimè obligent, vel ut minimè recedant à jure antiquiori claro etc. Ipsæ regulæ utriusque juris docebunt te generalia principia interpretandi significationes verborum.

<sup>a</sup>—Agitur de hac in Sexto, Clement. et Extrav. Joan. XXII. h. t.—et amplissime in Pandectis eod. tit. et lib. 34. tit. 5.—In Codice lib. 6. tit. 38.